



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

5. Situs Domus Sapientię Orientem deliciarum, divitiarumque abundantiam, & bonum omne pollicetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

dextera intellexerunt, vnde pulchra, grata, lætaque omnia provenirent. Hoc indicat toties nominata in divinis libris Dextera felicitatis index. *A dexteris est mihi ne commovear.* (a) *Dextera tua suscepit me.* (b) *Brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua* (c) *Astitit regina à dextris tuis* (d) *Exaltetur dextera tua.* (e) *Adstitit à dextra pauperis* (f) *Dextera Domini fecit virtutem. Dextera Domini excitavit.* (g) *Longitudo dierum in dextera ejus.* (h) Regnum quibusdā spondere visus Oriens, quod multis imperiis regnisque splendidissimis claruerit. Ad Regnum aspirat Sapientiæ Amator; sed non, quod est de hoc mundo, regnum fragile, breve, finiendum; verum ad alterius vitæ, constans, immobile, sempiternum.

(a) Psal. xv. 6. (b) Psal. xvii. 36. (c) Psal. xliiii. 4 (d) Pl. xlii. 10. (e) Psal. lxxxviii. 14. (f) Pl. cviii. 31. (g) Pl. cxvii. 16. 17. (h) Prov. iiii. 16.

ARTICULUS V.

SITUS DOMUS SAPIENTIÆ.

*Ad Orientem, deliciarum, divitiarumq; abundantiam,
& bonum omne pollicetur.*

ORIENS abundat deliciis, quarum abundantiam in Domo Sapientiæ consideramus, non corporalium, sed spiritualium, argumento tamen sumpto, & analogia ducti à corporalibus, quibus gaudet Orientis regio ob pinguem fertilemque tellurem. Odores & aromata, quæ iucundissimè sensus afficiunt, & conducunt ad sanitatem: myrra, thus, cinnamomum, piper & ejus generis plurima unde copiosius ad alias mundi plagas appor-
tan-


rantur, quàm ex Oriente, ubi vis Solis est efficacior? verum est, alibi etiam provenire aromata nonnulla, sed nullibi tanta copiâ, tam què fragrantia, quàm in Oriente, tum è soli, tum è cæli constitutione: Siquidem signa cæli orientalia, fortiora censentur, quia ignea & prima. Persarum orientalium eæ fuerunt delicia, ut Alexandrû antequam lustraret Orientem invictissimum militem, & ad durissima toleranda assuetum, enervaverint, & victorem orbis victis penè subjecerint, ut Capuanæ amœnitates ferum antea atrocem què Annibalem. Sed nihil magis hoc confirmat, quam quod DEUS delitiosissimum hortum voluptatis plantaverit in plagâ Orientali Eden, qui locus aptissimus videri potuit, quia delitiosissimus, & omni genere voluptatum affluens: Immo, ipsum nomen *Eden* (a) delicias sonare, auctor est eruditissimus Masius: vnde Græcos suum *ἡδονή* formasse sunt qui putant.

In eodem Situ Deliciis sunt conjunctæ Divitiæ. Unde enim lapides pretiosi, vnde aurum, unde effodiuntur opes irritamenta malorum uberius, quam in Oriente? Unde aduchuntur leones, elephanti, tigres, aliæque vestitatis ac feritatis ejusdem belluæ: quæ nobis visæ voluptati sunt, magistris suis & formatoribus maximo lucro: unde rara ideo què cara & preciosa absque numero: ex Oriente. Denique, ut ab Aquilone panditur omne malum Jeremiæ 1. ita fere ab Oriente omne bonum. An fortasse idcirco CHRISTUS Dominus, qui solus BONUS, & quia DEUS, OMNE BONUM, in Litteris divinus nominatur ORIENS? *Visitavit nos Oriens ex alto, Lucæ 1. Ecce vir Oriens nomen eius. Zacharia vi. cujus justitiæ, & Sapientiæ lumine, nostræ injustitiæ ac inscitæ nox illustratur. Ave ô Oriens, Ave. Orere nobis, ad orientem*

Sa-

(a) *Eden delicia Andr. Masius ad Barcepham de Paradiso. par. 1. c. 16*

Sapientia Domum ædificantibus. Orere, & illuminare omnes, qui in tenebris & in umbra mortis commorantur.!



NOTÆ.

§ I ORATIO ad Orientem.] Jacob Patriarcha Genesis XLVII. 31. moriturus adoravit DEUM conversus ad lectuli caput. Quare? quia illud erat ad Orientem, quo se vertere solent adorantes: & cujus rei causa altaria ad Orientem extruuntur. Lyranus addit, quia caput lecti erat versus terram promissam, ad quam orantes se convertent, cum extra illam erant, ut constat Daniel, VI. 10. & lib. III. Reg. VII. 44. *Abulensis*, in Genes. XLVII. *Ribera* in Epist. ad Hebr. cap. XI. Numeror. II. in distributione castrorum duodecim Tribuum, præscribitur: *Ad Orientem Iudas figet tentoria.* Cur? An quia Oriens est locus dignissimus, qui debebatur Judæ Principum eminentissimo? An quia ex Iuda ortus est Christus, cujus nomen Oriens?

§. 12. ESSENI.] De his accuratè Nicolaus Serarius lib. 3. Trihæresum, ubi eorum disciplinam, mores, & cum his connexa explicat. De oratione ad ortum Solis hæc habet ex Josepho Priusquam Sol oriatur profani quidquam loqui nihil audent, sed patrias quasdam ad Solem ipsum preces dicunt, veluti supplicantes, ut oriatur verum. Essenos non vere ac propriè Solem præcatos, sed solum Solis auctorem ac moderatorem DEUM, Serarius bene sentit: hymnos tamen quosdam dixisse, in quibus per prosopopœiam Solem, ut felix faustusque oriretur omnibus appellarent, ad eum modum quo Danielis tertio sancti tres pueri *Benedicite Sol & Luna Domino*, ac David. Psal. CXLVIII. *Laudate eum Sol & Luna.* Aut verò ad Solem preces dicere non fuit aliud, quam versus Orientem precari, seu converso ad solem vultu. Fieri etiam potuit, ut è materiato Sole mentem sustulerint alius ad verum æternumque Solem, qui est DEUS. Quomodo canit Ecclesia.

Lux lucis & fons luminis. Dies diem illuminans.

Verusq; Sol illabere, Micans nitore perpeti.

Gentiles solebant Diis primam horam nunciare, quasi iis matutinae, & primæ salutationes essent gratissimæ. Idem fores principum mane obsidebant, ut egredientibus obviam prodirent, ac salu-

salutem precarentur. Quod multis exemplis firmat Pineda Job xxxi. 36. num. 9. S. Hieronymus de quibusdam, quos Ezechiel cap. viii. arguit: Adorabant ortum Solis, eo quod contempto Domino, id est, creatore adorarent Solem, id est, Domini creaturam. Inter quos fortasse recensendus Pythagoras, qui Solem, Lunam, alstraque cetera Deos autumabat, ut habet Laertius. Nonnulli rudes Christiani ac Priscillianistæ hæretici Solem orientem adorabant, quos redarguit S. Leo Sermone vii. de Nat. D. De talibus, inquit, *instituta* (Priscillianistarum videlicet) *illa etiam generatur impietas, ut Sol inchoatione diurna lucis exurgens à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur. Quod nonnulli etiam Christiani adeo religiose se facere putant, ut priusquam ad B. Petri Basilicam, quæ uni DEO vivo & vero est dedicata perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris ascenditur, conversi corpore ad nascentem se Solem deflectant. & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantia vitio, partim paganitatis spiritu multum tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam forte creatorem potius pulcri luminis, quam ipsum lumen, quod est Creatura, venerantur, abstinendum tamen est ab huius modi specu officii. Hæc S. Pontifex anxie, ne quid commune cum Priscillianistis, atque Gentilibus haberent fideles. Consule Baronium tom. i. Annal. Eccl. Anno Christi 58. num. 86.*

§. III. AVES diluculo cantillant ac Philomela nominatim suavissima sua melodia Solem prævenit, ac venientem quasi allicit, & salutatur. Sic fideles mane Solem justitiæ suis hymnis ac precibus salutent Sacerdotes maxime ut volucres cæli, & auroræ Philomelæ, sed & Cicadæ noctium; ut Eustochio commendat S. Hieronymus, & ut talis sit, desiderat: nimirum, orans adoransque Deum *dormiens atque consurgens, ut habetur Deuteronomii vi. 7. id est, dum cubitum concedis, seu cubas, & summo mane surgis.*

(:)

SER-